



Utâram equidem hoc labenti anno me scribendorum de materiâ profanâ Programmatum seu labore seu onere defunctum, ac propterea ad sacra mentem atq; animum converteram, cùm ecce mihi se fisteret JOH. CHRISTOPH à *Temmeris* ex Equitibus Lusatis oriundus, orationem de *Amicitia* à se confectam dicens, cujus publicè habendæ facultatem ut sibi concederem, simulq; actum istum programme indicerem, quod hæctenus moris habuimus, officiosè rogaret: cœpi ergò filum Terentianum, quod nuper adeò redorsus fui, relegendo pertexere & impræsentiarum texturâ scholasticâ continuare,

XXII. Et quia Paralipomena præsertim tracto, de labendum mihi est ad Programma CXLmum, in quo de voculâ *adfinis* & *adfinitas* quædam attuleram, inductus illo Pamphili (*Andr. I, 5, 12.*) quò quærit pactum, ut Chremetis futuri soceri *adfinitatem* effugiat. Est enim *primus*, juxta ICTos, *adfinitatis gradus inter socerum & generum*, quod ex *Hecyrâ* quoq; (*IV, 4, 13.*) patescit, ubi Phidippus *socer* ad Pamphilum itidem *generum* ait

Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest, *affinitatem* hanc sanè perpetuam volo.

Ita quoq; *Cicero* (*l. III, epist. 12.*) eam, quæ insciente ipso filia Tulliæ cum Dolabellâ tractata fuerat desponsatio, *affinitatem* fuisse renunciatam scribit. De Dolabellâ enim sermonem ipsi esse, manifestum est ex *epistolâ* (*lib. II, 15.*) ad *Cœlium*, ad quem hæc scripsit: *Quod actum est, Dij approbent: spero fore jucundum generum nobis.* Ita Jugurthæ nupserat filia Bocchi regis Maurorum (*Sallust. Jugurth. c. 81.*) Ab hoc Jugurtham Romanis tradendum petebat Sulla, Rex verò negitabat, quia cognatio, *adfinitas*, præterea foedus intervenisset. Et hanc notam notatu non indignam esse, consentientem habeo doctissimum illum ICTum *Conradum Rittersbusium*, qui ad præclaram illam *Salviani presbyteri*

*Mas*